



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 1. Vtrum materia huius sacramenti sit panis, & vini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

37

Q V Æ S T I O LXXIV.

De materia Eucharistiæ quantum ad speciem.

In Octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Utrum materia huius Sacramenti sit Panis & Vinum?

Notandum est, Varias fuisse hæreses circa materiam huius Sacramenti, quarum præcipuas recenset D. Thomas.

Sed Veritas Catholica est, materiã huius Sacramenti esse Panẽ & Vinum. Colligitur Matt. 26. Marci 14. Luca 22. & 1. ad Cor. 11. vbi Dominus in institutione huius Sacramenti tantum panem & vinũ adhibuit: semperque hæretici sunt habiti ab Ecclesia, qui aliam materiã adhiberent.

Primaria ratio est voluntas Christi. Cõgruentiã sunt: Primò, Quia pane & vino homines reficiuntur corpore; panis enim corroborat, & vinum lætificat: ergo conueniens erat, vt in his institueretur hoc Sacramentum, quod est refectio, & recreatio animæ; præsertim cum hæc apud omnes gentes facillè habeantur. Secundò, Quia hæc, dum seorsim nobis exhibent corpus, & seorsim sanguinem, optimè representant Christi passionẽ, per quam sanguis à corpore fuit separatus. Hoc autem Sacramentum, est cõmemoratio passionis Christi. Tertiò, Quia hæc materia optimè representat nobis effectũ huius Sacramenti; quæ respectu singulorum est robor & recreatio spiritus: respectu Ecclesiæ est vnio spiritualis membrorum in vno corpore & capite: panis enim ex multis granis in vnum coëuntibus constat, vinum ex multis acinis confluit.

ARTICVLVS II.

Utrum requiratur determinata quantitas panis, & vini?

Respondetur, Quantumuis magnam quantitatem panis & vini posse consecrari. Intelligence, modò sufficienter sit præsens: v. g. monticulus panis, & lacus vini. Probat D. Thomas. Quia tantum potest consecrari, quantum sufficit, pro quantumuis numero fidelium, v. g. pro decem millionibus hominum: sed numerus fidelium semper potest esse maior, & maior: ergo & quantitas materiæ huius Sacramenti.

Ratio est, Quia panis & vinum, quantumuis magna quantitate, est verus panis, & verum vinum: ergo potest consecrari, modò alioqui sit præsens. Patet consequentia, Quia Christus absoluit dedit potestatem consecrandi panem, & vinum. Nec potest assignari aliquis terminus, quo hæc materia limitetur. Quod confirmatur; Quia hæc limitatio nõ potest delumi, nisi ex fine, vt in omnibus arte factis: finis autem est vsus huius Sacramenti: atqui non limitatur ex vsu, vt rectè ostendit D. Thomas.

Notandum in responsione ad 1. vbi D. Thom. ait, in rebus naturalibus materiã accipere deter-

minatam quantitã per comparationem ad formam determinatam; hoc propriè solum esse verum in viuentibus; hæc enim ab intrinseco, scilicet ex vi formæ, habent determinatam quantitã. Res inanimæ determinantur ab extrinseco, v. g. vel ab agente, vel ab inopia materiæ, vel à loco.

Vnde quantitas determinetur.

DVBIVM I.

Utrum quantumuis parua quantitas possit consecrari?

Respondeo, Nullam esse ita paruam particulam, quin, si sub illa sit substantia panis & vini, possit consecrari. Et quidem, si loquamur de particula existente in toto, res est indubitata: dum enim totum consecratur, omnes partiçulæ eius, quantumuis minutæ, consecrantur. Dices, In toto homogeneo nõ datur pars minima; sed in infinitum potest dari minor, sub quã forma existat; ac proinde poterit deueniri ad tam minutam, vt sit insensibilis: ergo non poterit consecrari: Sacramenti enim materia debet esse sensibilis. Respondeo, Etsi per se seorsim non sit sensibilis, tamen est sensibilis confusè in toto, in quo existit; ac proinde in ipso simul cum alijs poterit consecrari.

Si autè loquamur de particula separata, dicendum est, omnem quantumuis paruam posse consecrari, modò sub ea possit conseruari substantia panis & vini, & sit sensibilis; vt fatentur omnes Doctores.

Quòd si aliqua tam sit exigua; vt sub ea seorsim substantia propria exiltere nequeat, ea seorsim cõsecrari non poterit: quia reuera non est materia; vtpote non habens substantiam panis, & vini. Talem tamen particulã dari posse, sequitur ex illorũ sententia, qui statuunt in homogeneis dari minimum naturale separatum, id est, minimã particulam, quæ separatim à toto possit naturã retinere: si enim hæc particula diuidatur, statim desinet ibi rei substantia, saltem per actionem corporis circumstantis, cui ob exilitatem non potest resistere.

Similiter, Si ita sit parua, vt naturaliter non sit sensibilis, consecrari seorsim non potest, etsi fortè substantia panis ibi subsit; quia materia Sacramenti debet esse sensibilis. Dices, Ergo si ab hostia consecrata separetur talis particula, desinet ibi esse corpus Domini, quamuis sub ea possit conseruari substantia panis: quod est cõtra Conciliũ Trid. sess. 13. can. 4. Respondeo, Negando Consequentiã: etsi enim talis pars seorsim non possit consecrari; consecrata tamen in toto potest post separationem retinere consecrationem; sicut vinum gelatum non potest consecrari; tamen si consecratum sit ante congelationem, non desinet ibi esse corpus Domini; & fortassis aqua vino mixta consecrari potest; & si separetur, manebit consecrata; seorsim tamen nõ potest consecrari. Denique, anima in corpore consecrari potest Sacramenti, non tamen sic consecrari potest extra corpus; quamuis extra corpus hanc consecrationem retineat.

H h h ij

DVBIVM

Quantumuis parua materia in toto existens est consecrabilis.

Si à toto sit separata

Si minimã naturale.

Si insensibile.

Si particula consecrata fiat insensibilis, non desinet corpus Domini.

Huius Sacramenti materia est panis & vinum.

Tres Congruent.

Quantumuis magna quantitas consecrari potest.

Ratio.